PELAGIUS
3. Viertel 12. Jh. Seite 29r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



quecunq; iustus fecerit prosperabuntur. His qui secundum propositum uocati sunt
sancti. Nam quos prescivit. Secundum quod proposuit sola fide saluare
quos prescierat credituros. et quos gratis uocauit ad salutem.
multo magis glorificauit ad salutem operantes. Et predestinauit
conformes fieri imaginis filii sui. Predestinare. idem est quod prescire.
Ergo quos preuidit conformes futuros inuita. uoluit ut fierent
conformes in gloria. qui transformauit corpus humilitatis nostre
conforme corpori claritatis sue. Vt sit ipse primogenitus in
multis fratribus. Primogenitus ex mortuis in gloria. Item. Hic secundum
quod homo factus est secundum gratiam que in eo erat filius dei primo
genitus interpellat pro nobis. Non quasi deus interpellat sed quasi
summus sacerdos. xxii Quos autem predestinauit. hos
et uocauit. et quos uocauit hos et iustificauit. quos
autem iustificauit. illos et magnificauit. Quos prescivit
credituros. hos uocauit. Vocatio autem uolentes colligit non
inuitos. Aut certe discretio non in personis sed in tempore est;
Hoc ideo dicit propter fidem inimicorum ne fortuitam dei gratiam iudi
carent. Ergo uocantur per predicationem ut credant. credentes
iustificantur per baptismum. glorificantur in uirtutibus per gratiam;
Quid ergo dicemus ad hec. Si deus pro nobis. quis contra nos. Vult
ostendere quod nemo possit impedire eos qui diligentes deum
diliguntur a deo. quo minus gloriam que promissa est consequantur
eo quod perfecta que in illis est caritas omnem causam mortalis
timoris foris expellat. Qui etiam filio suo non pepercit. sed
pro nobis omnibus tradidit illum. Permisit tradi ut tradentibus
libertas maneret arbitrii. ut nobis pacientie monstraret
exemplum. Quod dicit pro omnibus. notandum quia non pro aliquantis.
Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit. Quid potest
habere carius quod nobis neget. qui filium non negauit. xxiii
Quis accusabit aduersus electos dei. Deus qui iustificat. quis est
qui condemnet. Quos deus elegit credentes ac signis et uirtutibus
iustos ostendit. quis pro pristinis audebit accusare delictis.